

1983

C O D I C E S

1984

missa sunt manu Sec. XIV. *Decreta* cujusdam Ecclesiae, aut cujusdam *Synodi in Galliis*, ut videtur, celebratae; inter festos enim, qui agi jubentur, dies mensi *Octobri Festum Sancti Dyonisij* adsignatur. De tempore conjectes ex his verbis: *Et nos collationes parochialium ecclesiarum admissiones et institutiones ad easdem faciendas uel factas a tempore Generalis Concilij ultimi lugdunen. (1274) personis qui vicesimum quintum Annum etatis sue non attingerint, pronuntiamus et declaramus nullas esse ipso iure &c.* Agitur porro in hoc Fragmento de Celebratione Festorum, de Beneficiis ecclesiasticis, de Clericorum Vita, ubi inter alia prohibentur exercere officium *proseneca* (Proxenetae, *προξενος*, gall. *Courtier*) *triparii* (venditoris Extorum gall. *Tripier*) quibus similia habes in *Statut. Ecclesiae Leodiens.* a. 1287. T. IV. *Anecd. Marten. col. 853.* de Monachis, de Archidiaconis et Decanis.

## DXIV.

113 Codex chartaceus germ. lat. Sec. XVI. Folior. 248. f. Continet I. *Liturgiam* Ecclesiarum Protestantium Saxoniae hoc titulo: *Agenda wie es in des Churfürsten zu Sachssen Landen in denn Kirchen gehalten wirt.* Praefatio incipit: *Der Almechtig Ewig gott hatt sich mit gewissen gezeugnuffenn, mit auf-erweckung der thottenn &c.* Pars

prior theoretica est agitque de Doctrina christiana, de Lege et Evangelio, de Justificatione hominis, de bonis Operibus, de Sacramentis, de Oratione, de Magistratibus, de Regimine ecclesiastico. Pars altera practica, seu, ut vocatur, *Agenda* a fol. 22. p. 2. tractat de Baptismo, introductione Puerperae in Ecclesiam, Confirmatione, Confessione et Absolutione, Poenitentia publica, Missa et Communione, Consolatione Infirmorum, et Captivorum, de Ordinatione Ministrorum Ecclesiae, ubi ad p. 111. insertus est *Elenchus* latinus *Quaestionum* LXII. Ordinandis proponendarum, de Praedicatione, Cantu sacro, Catechismi exercitio, Litanis, Jejunio, Diebus festis, cultu SS. Nuptiarum celebratione, et sepeliendi Ritu.

II. a fol. 179. *Sequuntur pio studio Collecta cantica et descripti ritus Ceremoniarum, que obseruari deinceps debeant in Ecclesiis nostris &c.* Ut alibi retulimus, cum eorundem *Theologorum* nominibus subscriptis. Editiones hujus Liturgiae habentur in *Chr. Julii Boeckelmanni Bibliotheca Agendarum* in lucem prolata ab *H. Casp. König, Zellae 1726.*

## DXV.

Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 54. f. Continet absque Titulo *Liturgiam* Ecclesiarum Protestantium Saxoniae jam exhibitam supra. Praefatio incipit,